



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 63. Hungariæ Regis religio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

tentiam. Illo elapso Nuncii die Martis Sæcul. XIV.  
 5 Jan. 1339 moram iterum prorogabant: A. C. 1339.  
 & tandem quinto Aprilis contra Petrum  
 ac partes ejus decretoriam pronunciarunt  
 sententiam: ut rei gestæ acta 7 Aprilis  
 ab eis perscripta docent. Atque is erat  
 totus eorum negotii fructus.

## §. LXIII.

*Hungariæ Regis religio.*

Carolus seu Charobertus Hungariæ Rex, Rayn. 1339.  
 Roberti Neapolitani Regis nepos in n. 82.  
 pueritia sua de suo jure ad regnum con-  
 troversiam moveri videns, sæpius se voti  
 religione adstrinxerat ad complendum  
 diebus certis certum numerum recitatio-  
 num precationis dominicæ, salutationis  
 angelicæ, ac illius, cui principium: *Sal-  
 ve Regina!* sic, ut eas hoc die centies, il-  
 lo ducenties diceret: quæ res oneri tan-  
 dem huic Principi erat habenti consilia,  
 regniq; sui negotia curanti. Quocirca  
 oravit Papam Benedictum, ut hæc vota  
 commutaret. Annuens iste quotidie has  
 eum preces quindecies recitare jussit ea  
 lege, ut duodecim pauperes aleret illis  
 diebus, quibus eas precandi formulas  
 crebrius quam quinquagies dicendas su-  
 scipisset. Litteræ 17 Jan. 1339 scriptæ  
 sunt, atque indicant, qualia illo tempore  
 vigerint exercitia pietatis.

Sæcul. XIV.

A. G. 1339.

Charobertus ex prima conjugē suā Maria Casimiri Polonorum Regis sorore habebat filium Ludovicum nomine, qui hoc ipso anno designatus est Rex Poloniæ. Nam Rex Casimirus ejus avunculus sibi deesse liberos videns, ne post mortem suam regnum direptionibus exponeretur, pridie festum S. Stanislai 6 Maji generalia celebravit comitia, in quibus Ludovicum nepotem suum in successorem eligi curavit: tum ipse cum duobus Episcopis, & nonnullis Optimatibus in Hungariam delatus Vicegradi 7 Julii cum Rege Carolo certis conditionibus rem composuit.

Dlug. p. 1055

## §. LXIV.

*Sententia pro Rege Poloniæ.*

Anno priore Papa Gaillardum Carnutensem Præpositum Tibisci Colocianæ in Hungaria dioceseos, ac Petrum Gervasium Aniciensem Canonicum tantquam Nuncios suos in Poloniam miserat cum mandato hujusmodi: Recepimus Casimiri Poloniæ Regis querimoniam, quod Magister & Fratres Teutonici Ordinis in Borussia habitantes quasdam Poloniæ terras, scilicet Culmam & Pomeraniam, pluresque dein alias armatis manibus occupaverint, ac etiamnum retineant, non sine gravi damno illius regni, ac si-

mal

Dlugos. lib. 9  
p. 2043. 1045